

3+4/86

IDIBUS APRILIBUS

MCMLXXVI



RVMOR VARIVS



TOMUS 9

FASC. 58

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADIS
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 20.--
In Austria	ÖS 140.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans	
maria sitis	US 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Udalricus Aeschlimann
Martinus Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 20.--
Oesterreich	ÖS 140.--
übriges Europa	Fr. 20.--
Uebersee	US 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulrich Aeschlimann
Martin Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Egregii legentes,

Primi Rumoris Varii fasciculi anno MCMLXXVIII^o editi sunt. Adhuc LVIII fasciculi editi et in omnes partes Helvetiae regionumque totius orbis terrarum emissi sunt. Finem autem, quem Rumoris Varii patres sive conditores persequendum proposuerant, LVIII libellis adhuc editis fere adepti videmur: Rumor Varius hodie permultis Latinitatem amantibus colentibusque est hoc, quod aliquando futurum esse speraveramus: forum quasi publicum, quo Latinitatem amantes, ubique terrarum habitantes symbolis suis Latine scriptis conveniant, opiniones de quodlibet thema - sive inter se congruentes sive differentes - aperte commutent, dicant, divulgent. Si, ut exemplum dem, haec legeritis, quae fasciculo praesenti sub titulo "Litterae ad editores" nova inscripta sunt, facile intellegetis, quod supra explicare conatus sum.

Remanet autem unum problema nobis solvendum: Quomodo efficiamus, ut augeatur non modo numerus eorum, qui nobis litteras mittant, sed etiam eorum, qui nobis fabulas, narrationes de itineribus factis, de vita cottidiana et cetera huius generis publicanda mittant remittantque? - Nuper collegio redactorum per litteras solutionem huic problemati solvendo fortasse utilem proposui: Cur non lege sancienda decernimus, ut futuris temporibus omnis auctor symbolae vel partis ratae Rumori Vario impressae praemio forma pecuniae honoretur?

Occasione consessūs hornotini Societatis Latinae Turicensis data de hoc meo proposito inter socios operis disputabitur. Quem consessum die III^o mensis Maii advenientis Turici inibimus; de consiliis tum captis vobis proximo libello narrabo.

Valete!

U. Aeschlimann
Udalricus Aeschlimann

Litterae ad editores

7.3.86

Iosephus Malleus Udalrico Aeschlimann SPD

Hac chartula subnotationem R.V.ii resolvere velim. Forsitan eam renovabo cum commentarii vestri meliores, emendatiores erunt. Recte in ultimo R.V.ii numero Martinus Meier de Weissmann (R.V. fasc. 57, p. 7). Recte Christianus Versifax de Tuis versibus. Melius Tibi fuisset et Emanueli Bernard, si meos versus vulgavissetis, nam mendae meis versibus non inerant. Male fecistis: in versibus vestris horribiliter quantitativis vocalium, syllabarum erravistis. Latinitas in Helvetia pessimo in statu esse videtur. Sed ne deterreamini, pergite tenere viam quam instituistis, Deo vos adiuvante.

Iosephus Malleus
Tirolensis Meridianae regionis



DE RUMORE VARIO 3+4/85 (DE FERIIS CUM CATULO ACTIS)

Hanna Emanuelo salutem dicit.

Hodie demum ab amico de Rumore Vario certior factus sum. Cupida legere coepi. Eheu, iam bilis intumescit vehementissime, cum de canibus mentio incidit. Idibus Martiis (cave eas!) cunus merdae mihi multum laboris obtulit: Nam pater qui me diem natalem agentem visitavit, pede sinistro cunum merdae intulit, non modo in limen atque incessum, sed etiam per scalam in domum superiorem: quae omnia tapete tecta sunt.

Itaque charta, aqua, penicillo laboravi sudavi, fricavi, non parum sacravi, increpavi, deos deasque imploravi, ut omnes canes perderent.

Quid faciendumst? Canibus cacandum esse certe constat. At mehercule non constat dominos eorum adstare, spectare, abire: immo cunum merdae (quamvis formose formatum) tollant, in sacculum plasticum inferant, idoneo loco abiciant. Nam certe non canes porci sunt, qui secundum naturam se gerunt; sed domini, qui canes secum ducunt, non secundum naturam eos vivere sinunt.

Dabam Basileae, a.d. XII. Kal. Apr. LXXXVI

Hanna Haas



Firinisvillae, die XVII^o mensis Martii MCMLXXXVI^o

Sibylla Schuler domino Ulrico Aeschlimann salutem plurimam.

Vehementer gaudeo bis adhuc mihi RUMORES VARIOS missos esse. Qui mihi magnum auxilium erunt in sessiunculis Latinis, quas nuper instituimus in regione Basileae. Si vere me vobis commentariolos aliquos mittere placet, libentissime rumores de rebus quibusdam archeologicis conferam, quibus nunc in universitate Basiliensi studeo. Fructus studiorum meorum si vobis usui sint, telephonate mihi. Vobis si placebit, de Aenea, ut pictus est in vasis Graecis mox cum imaginibus nonnullorum vasorum mittam. Postea fortasse etiam de arce quadam mediaevali, quam Firinisvillae effodiemus semestri proximo, narrare potero.

Bene vale!

Sibylla Schuler

Udalrico Aeschlimann caro et claro amico s.d.p.

Tibi, cum rogaveris ut lectores sua mitterent in "Rumore Vario" divulganda, quamdam libri recensione mittimus in pagina huic coniuncta. Nam cum nobis ipsis iucundum fuerit illum librum legere, speramus alios eo quoque delectari posse.

Magna cum laetitia "Rumorem Varium" legere solemus; abundat enim rebus variis, saepe facietis, semper iucundis. Plane consentimus Martino Meier in pag. 5-6-7 proximi fasciculi neganti quemquam seu propter expressionem recentem seu ob pronuntiatum quemlibet damnandum esse: Iam enim diutius istud bellum intra ipsa Latinitatis amantium castra continuatur propter varios pronuntiandi modos variasve vocabulorum selectiones. Una res refert prae ceteris, Latinum sermonem sincere amare et libertatem alienam observare. Liceat ergo cuique suo modo hunc Latinitatis amorem significare!

Vale atque etiam vale!

Genovefa et Antoninus Immè

Dabamus Pali, die XIII mensis Martii.

DE SINGULARI LIBRO

Vobisne, docti culti curiosique lectores, notum est quomodo Balaena guttur suum adeptus sit, et quomodo Camelus gibbum suum adeptus sit, et quomodo Rhinoceros pellem suam adeptus sit, et quomodo Pardus maculas suas adeptus sit, et quomodo Elephantus proboscidem suam adeptus sit, et quomodo Kangarunis (quem docti "halmaturum" nuncupant) modum saltandi suum adeptus sit, et quomodo primi Armadillones esse coeperint, et quomodo epistula prima temporibus neolithicis scripta sit, et quomodo alphabetum factum sit, et quomodo Cancer mari luserit, et quomodo Feles sola ambulare coeperit, et quomodo Papilio pedem supplerit?

Si his rogationibus, o curiosi lectores, singula responsa legere cupitis (quae responsa certe non scientifica, sed poetica et hilaria et delectabilia sunt), librum quemdam a Rudyardo Kipling profecto legere vel relegere potestis conversum in linguam vernaculam quae vestra est (cum versiones iamdiu factae sint in praecipuas linguas hodiernas).

Sin autem huic priori delectationi delectationem alteram delectabiliorem addere cupitis, hunc librum a L. G. Kelly Latine conversum cum hoc titulo "Prorsus Taliter" legere oportet (1): Nam interpres ille vere auctorem alterum haud inferiorem se praebet, cum facetias et subtilitates stili vocabulorumque Britannicorum Latinis vocabulis reddere scierit modo etiam facetiore et subtiliore.

Etenim vocabulorum litterarumque ludos, quos proprios unius linguae et in aliam inconvertibiles esse credas, tam artificiose accommodat ut quasi magicum prodigium hoc videatur: Ut vocabulorum ludi exemplum unum citem, camelo imponitur "gibbus" quod "quibus?" adsidue rogat; ut iam litterarum ludum quem "paromoeon" dicunt adferam, ecce "Personam Pusillam Protervissimam"; copia ceterum est vocabulorum novorum facete inventorum (ex.gr. "speluncam spelunciter habitabant" vel "lux tigrinissime descendebat", quod lineae umbrae solisque in silva delineabantur); est vera alacritas et hilaritas sententiarum in quibus sophistarum subtilitas comico modo simulatur: "Age, dicas me dixisse eam oppido alia dixisse. Ego tamen opinor id nihil interesse, quia si illa dixisset ea quae tu dixisti me dixisse eam dixisse, haud aliter esset ac ego dixissem ea quae illa dixit se dixisse"!


Praeterea modo aphaereses, quales in vulgari Britannorum sermone sunt, Latine reddit (ex.gr. "Stutus" pro "Astutus" et multa eius generis), modo ad hanc popularem loquelam sequendam formas Plautinas adhibet (ex.gr. "eccillum" et multa alia), modo vocem per nares constrictas vix emissam imitatur ("Be rebidde" = "Me remitte").

Sescentis aliis modis apparet inventio verbalis vere ingeniosissima. Non Ciceroniana certe haec lingua est, immo

aliquanto potest accidere ut audacia verbalis in infimam Latinitatem cadat. Omnia vero effluunt cum tanto impetu, tanta inventionis laetitia, tanta hilaritate, ut lector - nisi sit superciliosissimus Orbilius - ista indulgenter omittat nec quicquam aliud nisi delectationem sentiat. Quid plura? Vere rara voluptas est in eodem libro invenisse duo saepe inimica: et doctrinam linguisticam certam et ingenuitatem simplicissimam.

Genovefa Immè

(1) Quicumque me noverunt bene sciunt me praeconis munus videlicet non exercere ideoque me hoc propter hanc unam causam dicere, quod vos, cum ipsa in legendo maxime delectata sim, eiusdem delectationis participes facere cupio. Haec est vobis inscriptio cursualis editoris, apud quem liber emi potest: James Ball, 78, Worthington Road, Surbiton, Surrey, England KT6 7RX.



DE ITINERE GEORGIENSI

(Anno 1864^o p. Chr. n.)

(Cum bellum civile Americanum iam ad finem vergeret, generalis W.T. Sherman copias suas "Yancorum", i.e. Americanorum septentrionalium, crudelissima expeditione per Georgiam duxit. Non contra adversarios "confoederatos", i.e. Americanos civitatum meridianarum, pugnavit, sed eorum domos agrosque ferociter vastari iussit, quo celerius eos nutrimenta omniumque generum auxilia deficerent. In isto "Itinere Georgiensi (Anglice: Marching through Georgia)" saepius milites ne mulieribus quidem parcebant.)

Stat virgo ante stabulum
latura equis pabulum.
Eheu, iam pater occidit,
in bellum sponsus exiit.
Ne servi quidem remanserunt:
in libertatem aufugerunt.

"Quid nunc amatus faciat?"
puella gemens somniat.
"Redibis utrum saucius
an rapiet te exitus?"
Qui student servos liberare,
iam ausi suntne te necare?"

Plantares linum xylinum,
tabaccum atque sacharum,
per agros tecum veherer,
amore tuo gererer.
Clementer servus duceretur,
si tandem bellum finiretur!"

Apparet cogitatis his
caterva quaedam hostilis.
Potionem Yanci flagitant
compulsi siti, clamitant:
"Quo modo servis laborabis
absentibus? Quid exultabis?"

Fac ollam videamus nunc
aquamque nobis affer tunc!
Quae eras superbissima
et Afris crudelissima -
nunc servos tuos ulciscamur
tuoque corpore fruamur!"


Iam appropinquant virgini
dedentes se libidini.
At puella sicut saxum stat,
tum statim armum captitat.
"Non servum umquam verberavi,
sed iam nefarium necavi!"

Si vestrum quis est cupidus
bellandi vir fortissimus,
ne cum puella dimicet,
confoederatos repugnet!
Qui servis pie pepercerunt,
pugnare bene didicerunt!"

Tum tacet hostis obstupens
vel magis armum metuens
vel verbis puellae territus
et corde commotissimus.
Servorum modo parituri
feroces iam sunt miraturi.

Ut agni aquam hauriunt,
repulsa siti abeunt
et manet domus integra
ingemescente puellula:
"Qui servam tuam es tutatus,
mi Deus, semper sis laudatus!"

Martinus Meier



DE THEORIA NOVA,
QUOMODO PYRAMIDES AEGYPTIAE
CONSTRUCTAE SINT

Inter septem aedificia mirabilia antiqua, quae Teodisce "Weltwunder" appellamus, pyramides Aegyptiae sunt notissimae; sine dubio ex ea causa, quod etiam nostris temporibus optime conservatae sunt. Quid mirum, quod multae fabulae mirae de his sepulchris regibus Aegyptiis e planitie quadrata in cacumen exstructis narrantur? Homines doctissimi iam per multa saecula quaestionem disputant, quae, nisi fallor, iam Plinio illi scriptori rerum antiquo Romano maxime intererat: "Quomodo efficiebatur, ut tota materies ad pyramides exstruendas necessaria, saxa ingentia cubiforma maximi ponderis, e solo in pyramidum loca alta ferri posset? Cui quaestioni artium technicarum antiquarum peritissimi iam rationibus inter se maxime variis respondere conabantur et semper conantur. Harum novissima est theoria, quam Guarnerius Ekschmitt libro suo novissimo "De septem miraculorum mundi constructione, excidio, reinventione" (1) inscripto nuperrime protulit. Profecto solutionem huius problematis sive aenigmati novam, adhuc nondum prolatam magni momenti offert. Licet doceat - quod posterius seu minores nati olim diiudicent - non vera: Digna est, quin respiciatur. Suggestit enim haec:

Is, qui cuncta nobis adhuc de instrumentis ab antiquis ad res tollendas inventis nota mente respicit, negabit saxa, quibus pyramides Aegyptiae constructae sint, tolemnonibus (2) e tegimine (3) inferiore saxorum in proximum tegimen altius sive superius sublata esse. Scimus enim Aegyptiis antiquis tolemnonem instrumentum ignotum fuisse. Ergo ad quaestionem alia ratio est adhibenda! Respiciatur haec novissima:


Aegyptii antiqui pyramides, dum erant in statu constructionis, quattuor muris acclivibus terendis (4) - formā cochleis - circumdabant. Quorum murorum alter alteri iuxtapositus erat. Uniuscuiusque limen inferius, quo iniretur, sub quoque angulo pyramidis positum erat, superius ea altitudine, quamcumque aedificium, dum exstruebatur, adepta erat. Horum murorum tres saxis in loca semper altiora trahendis, quartus autem traheis (5), quibus saxa transportarentur, ad solum sive radicem pyramidis revertentibus constructi erant. Trahae ipsae, quibus saxa vehebantur, in his muris luto (6) madente assibusque supercontextis ab hominibus trahebantur. Singula saxa, quorum pondus MM chiliogrammorum aestimatur, his traheis "commode" omne in suo loco poni poterat, cum summum tegimen pyramidis positum semper aequa altitudine cum liminibus superioribus quattuor murorum acclivium terendorum maneret.

Imagines III, quas additas invenitis, melius illustrent, quae verbis et exprimere et describere mihi difficilius videtur. Si plura de hac nova theoria cognoscere velitis, amici, emite, quaeso, librum Guarnerii Ekschmitt, et legite! Continet enim etiam alia de pyramidis antiquis velut de reliquis VI miraculis mundi digna, ut legantur. Valete!


Udalricus Aeschlimann

(1) Werner Ekschmitt: "Die Sieben Weltwunder - Ihre Erbauung, Zerstörung und Wiederentdeckung". Sonderband aus der Reihe "Kulturgeschichte der antiken Welt". Verlag Philipp von Zabern, Mainz am Rhein.


- (2) tolemno, -onis m. Kran, Lastenaufzug
(3) tegimen, -inis n. Lage, Schicht, hier: Stufe
(4) murus acclivis terendus (begehbare bzw. befahrbare)
 Rampe
(5) tráhea, -ae f. Schlitten
(6) lutum, -i n. Lehm



pyramis a latere
conspecta



pyramis desuper
conspecta



Haec imago demon-
strat pyramidem in
statu constructio-
nis. Tales muri,
si re vera constru-
ebantur, sine dubio
impediebant, quo-
minus et planities
superficiales et
angulos pyramidis
accurate metirentur.

Ae. 3/86

Ad numeros imaginibus additos:

- 1 limen, quo murus acclivis terendus ingredebatur
- 2 via sive strata forma cochleae in muro acclivi terendo circum pyramidem posita, in qua traheae saxis oneratae in altum trahebantur
- 3 moles muri acclivis saxis pyramidis applicata
- 4 planities superioribus saxis formata, in qua reliqua sive suprema saxa ponebantur



De verbo «ave» apud veteres Romanos usitato

"Ave" vel "have" est imperativum verbi "avere" vel "havere", quod significat: bene se habere.

Verbum id originem ducit e lingua palaestrica. "Vincis ave" hoc acclamabat vulgus gladiatori victori. Qua ratione spectatores gladiatorem victorem admonere solebant, ut bene se haberet. Gladiatores vero imperatorem salutantes exclamabant: "Ave, Imperator, morituri te salutant."

Verbum "ave" e palaestra in vitam cotidianam translatum est. Adhibebatur enim in salutationibus matutinis, cum clientes patronos suos adibant. Erat quoque genus salutandi in epistulis adhibitum. Augustus imperator epistulam scribens initio ait: "Ave, mi Gai..." (Gellius 15,7,3).

Verbum "ave" exstat in litteris sacris, nam Angelus Domini Virginem Mariam salutavit hoc: "Ave, Maria, gratia plena...."

Pro "ave" interdum legimus "have", sed "have" sermonis vulgaris erat cum apud homines doctos "ave" saepius in usu esset.

Etiam homines defuncti voce "ave" salutabantur. Quae salutatio una cum verbo "vale" in titulis sepulcrorum

oculis nostris offertur. Et Catullus poeta fratrem mortuum hoc modo salutatur: "Accipe fraterno multum manantia fletu atque in perpetuum, frater, ave atque vale." Equidem opto, carissimi lectores, ut vos omnes vitam longissimam et iucundissimam agatis et vos saluto hoc: Avete vos et valete!

Barbara Maier



Facete lepideque dicta

Communicatio dubia

Medicus autem gynaecologus pulchellam novam aegrotam subtiliter inspicit, subridet vafre et loquitur verbis his: "Habeo nunc reapse pro tete valde bonam iucundamque communicationem, domina Claudia!" – Tum pulchella aegrota: "Dominicella, quaeso, Claudia!" medicum corrigit interrumpitque. Tum medicus: "Veniam abs te peto, dominicella Claudia, quae si ita sient res cum magno meo dolore communicationem valde malam acerbamque habeo pro te!"

* * * * *

Progressus artis medicae ingentes, vehementes mirosque

Medicus: "Dolet etiam nunc tibi (h)umerus?"
 Aegrotus: "Tantopere dolet mihi quantopere id putare crede-
 reque, mehercle, omnino non potes!"
 Medicus: "Fomenta calida adhibeas!"
 Aegrotus: "Mirum quantum, nam pronuper fomenta frigida
 adhibere consuluisti!"
 Medicus: "Id pronuper fuit, sed interea disciplina medica
 ingentes, vehementes mirosque fecit progressus!"

* * * * *

Medicus immotus

Aegrotus sollicitus anxiusque medicum implorat: "Medice mi", inquit, "aperte ingenueque mihi confiteri te per omnes deos obtestor, quidnam mihi propediem imminebit impendebit-
 que!" Tum medicus immotus: "Rationes meae!" (Meine Rechnun-
 gen)

* * * * *

Medicus stomachosus irritatusque

Medicus: "Vir tute stupide et tarde, insane et mente capte, vecors, vesane, delire!"
 Aegrotus: "Qua re, qua de causa, quid est cur mente captum vesanumque me esse opinaris mihi que tales ignomias imponis?"
 Medicus: "Quoniam quidem iam per hebdomades quattuor medicamina contra icterum sive morbum arquatam tibi praescripsi et usque ad hunc diem mihi aperte non dixisti confessusque es tetemetipsum esse (virum) Sinensem!"

AMICUS



Aenigma

- 1) flumen Galliae
- 2) gubernio
- 3) geres
- 4) regina florum appellatur

1	2	3	4
2			
3			
4			



Graecorum philosophorum sententiae

Cum quis Diogeni malediceret, ille: "Neque mihi benedicenti tibi aliquis credet," ait, "neque tibi maledicenti mihi."

Opprobria fundenti poetae, quod eius carmina non probaret, Protagoras respondit: "Malo a te maledici quam tua carmina audire."

Aristoteles ab aliquo rogatus, quid durius statua sit, respondit: "Homo omni sensu carens."

Libentius eos memoria teneri, a quibus bona aliquis passus sit quam eos, a quibus mala, ait Theophrastus; Gratias agere enim honestiorum morum esse quam ulcisci.

Rogatus, quid et bonum et malum sit inter homines, Anacharsis respondit: "Lingua."

Gorgias orator putavit philosophiam quidem neglegentes, artibus communibus autem studentes similes esse procorum, qui Penelopam cupientes cum ancillis eius se misceant.

Oratores similes ranis esse Gorgias dixit: Has in aqua clamare, illos ante clepsydrum (horologium aquarium, quo tempus loquendi metiebantur).

Audiens aliquem dicentem difficile esse vivere Diogenes: "Non vivere," inquit, "malum est, sed male vivere."

Libentius se unum amicum magni aestimandum habere quam multos parvi aestimandos dixit Anacharsis.

Interrogatus, cur homines invidios semper stomacharentur, Anacharsis: "Quia non modo mala sua dolent," ait, "sed etiam aliorum bona moleste ferunt."

Interrogatus ab Aristone, quomodo vitam agens philosophus factus esset, Zenon: "A superioribus discens," ait, "cum paribus communiter res inquirens, inferiores docens."

Non eruditos facie tantum a feris differre existimavit Aristoteles.

Nicocles medicos beatos existimavit, quod prosperos successus eorum sol videret, malos eventus autem terra conderet.

Exprobranti Atheniensi, quod lingua Graeca mendose uteretur, Anacharsis Scythes: "Anacharsis Athenae mendose loquitur," inquit, "Athenienses autem in Scythia."

Exprobranti et dicenti philosophum amatricem habere non oportere, Aristippus respondit oportere potius amatam habere et eam regere sed non regi ab ea. Voluptatibus enim uti, sed non superari ab iis melius esse quam iis non uti.

Secure regnatos benevolentia, non armis se protegere oportere dixit Periandros sapiens.

Daniel Weissmann



SOLUTIONES

aenigmatis, quod vobis in RVMORE VARIO 1+2/86 proposuimus, hic demonstrantur:

¹ M	² E	³ R	⁴ E	⁵ T
² E	X	I	R	E
³ R	I	P	A	S
⁴ E	R	A	N	T
⁵ T	E	S	T	A



MORTES

Interpres operum Beethovenii diem suum obiit: Aemilius Grigoriifilius Gilelsius (Russice: Emil Grigorjewitsch Gilels), clavicen Sovieticus clarissimus, vita defunctus.

Aemilius autem Grigoriifilius Gilelsius, clavicen ille Sovieticus, cuius nomen longe lateque vagatur cuiusque fama per omnes est propagata terras gentesque, die Lunae - secunda feria - XIV^o mensis Octobris anno MCMLXXXV^o Moscuae in urbe Unionis Respublicarum Socialisticarum Sovieticarum diem suum obiit extremum sexaginta novem (undeseptuaginta) annos paene natus.

Aemilius autem Grigoriifilius Gilelsius die Iovis - quinta feria - XIX^o mensis Octobris MCMXVI^o Odessae in oppido ad ripam Ponti Euxini in republica Ucrainica Unionis Sovieticae hanc mundi lucem aspexit. Aemilius etenim summis ingenii facultatibus iam a prima pueritia praeditus ornatusque incredibilique indole artis musicae decoratus duodecim paene annos natus iam concentum primum musicum publicum in odeo Odessae in oppido suo patrio anno MCMXXVIII^o egit - admirationem etiam magnam Arthurii Isaacifilii Rubinsteinii, clavincinis illius ingeniosi, movens omniumque hominum oculos ad se convertens. Primum studiis musicae artis operam dedit Odessae in conservatorio musico, ubi illo tempore etiam studiis musicis operam dederunt aequales Sviatoslavus Theophilifilius Richter (Russice: Swjatoslaw Theophilowitsch Richter, die Veneris XX^o mensis Martii anno MCMXIV^o natus) atque Michael Emanuelisfilius Goldsteinus (Russice: Michail Emmanuilowitsch Goldstein), tum locum mutavit studiorum et in alias sedes seu in aliam domum Moscuae in urbe migravit, ubi Henrico Gustavifilio Neuhaus(io) duce et auctore in conservatorio musico Moscuae in arte clavichordio (seu clavicymbalo) canente valde prae ceteris eminuit. Henricus autem Gustavifilius Neuhaus(ius), qui eo tempore principem illius conservatorii clarissimi Moscuensis fuisse constat, Aemilium adulescentem admodum adiuvit iuvenique et postea magnum adiumentum attulit, ut artifex summa indole praeditus tandem ad interpretem omnibus notum clavichordii se efferre potuit.

Bello mundano seu pancosmio secundo paene peracto Aemilius anno iam MCMXLVIII^o lustrationes musicas incepit peregreque ubivis terrarum gentiumque concentus edidit musicos. Anno MCMLV^o primum in Foederatis Civitatibus Americae Septemrionalis seu Civitatibus Cunitis Americae scaenam artificis musici introiit. Anno autem MCMLXXIV^o etiam in Republica Germaniae Foederata Aemilium Grigoriifilium videre audireque potuerunt auditores quasi divino spiritu tacti.

Ab anno MCMLIV^o Aemilius Grigoriifilius in conservatorio musico Moscuae in urbe (sicuti) professor suboles artifices dociles diligenter clavichordio canere docuit discipulorumque animos verecundia venerationeque erga artem musicam imbuat. Aemilius autem, decus atque ornamentum ordinis musicorum, vir ille honoribus ornatissimus, summa reverentia et verecundia et in patria sua et ubivis terrarum gentiumque cultus et observatus summis honoris dignitatisque insignibus - ut exemplum adferam: praemio Stalini atque bis ordine Lenini! - est ornatus. Interpretationes eius musicae clarissimae spectant praeter cetera ad opera illustra Amadei Mozarti, Ludovici Beethovenii atque Iohannis Brahmsii.

Aemilii Grigoriifilii soror Elisabetha Grigoriifilia Gilelsia (Jelisaweta Grigorjewna Gilels) est violinistria celeberrima, prima autem Aemilii Grigoriifilii uxor etiam fuit clavicina, secunda autem uxor est compositrix seu musurga.

Virum autem singularem, praecellentem, insignem, praestantem, qui totam aetatem in arte musica contrivit, omnem vitae cursum in arte clavichordio canenda confecit, Musa ipsa vetat mori et numquam ulla de eo viro celeberrimo obmutescet vetustas.

AMICUS



De patientia Romam visitantibus adhibenda

sive

DE URBE ROMA AETERNA NARRATIO AB ALIIS NARRATIONIBUS

DIVERSA

Narrationis pars altera

Posterioris diei prima luce - ut iam narraui - surreximus. Ubi ientavimus - ientaculum nobis offertum semper suavissimo sapore erat - descendimus ad ferriviam subterraneam (1) conscendendam in viscera urbis Romae per aditum, qui foribus deversorii oppositus vicinus erat. Ferriviam subterraneam Romanam, care legens, non conscendas nisi scalis volubilibus (2) usus eris, quae inter aditum ad eius stationem et ferriviam positae sunt. Quibus scalis uti autem nemo potest, qui tesseram vectoriam (3) ante non emit. Quae tesserae in tabacopoliis (4) ubique in urbe locatis emantur, si modo suppetunt...

Omnis tessera, antequam ferrivia conscenditur, inserenda est parvae machinae electronicae prope aditum ad scalas volubiles collocatae, quae eam subito imminutam respuit. Sed quid morer levissimas res narrans? Cum scalas volubiles appropinquarem, turbam hominum aditus scalarum occupantium videbamus; omnes clamabant, disputabant, impias voces iactabant. Hic ego, verbi inservitoris memor, primum "Pazienza!" vocavi, tum "Quae tumultus causa?" interrogavi. Tum omnes, qui me audiverant, "Ma che cosa fastidiosa... davvero mi arrabbio... queste scale maledette, qui a Roma tutto maledetto, escluso il Vaticano... Non funziona mai niente... Viva i comunisti..." et cetera talia una voce Italice responderunt. Quidnam acciderat? Tesserae machinae imminuatrici (5) nescioqua causa immitti non poterant. Decem fere minutas post - iam tumultus in seditionem contra senatum populumque Romanum verti videbatur - advenit aliquis ferriviae functionarius subterraneae. Is "Pazienza!" vocavit et "Quid irascimini? Nonne videtis machinam tesseras imminuatricem defecisse? Non funziona!

Pazienza! Mox restituta erit, iam cras, fortasse..." Haec cum dixisset, aditum ad scalas parva clavi, quam secum portaret, aperuit. Tesseram autem cuiusque nostrum praetereuntium manu sua terens imminuebat - quod tali coetu hominum labor Sysiphi esse videbatur - cum interdum "pazienza", interdum "grazie" murmuraret.

Stationem (6) subterraneam scalis volubilibus adepti adventum ferriviae exspectabamus. Quae ubi advenit, nobis - heus! - novum problema ponebatur: Quomodo eam conscenderemus? Cum curruum portae paterent, intrare non poteramus. Currus enim a vehementibus ita expleti erant, ut ingressurus murum corporibus humanis exstructum durissimum immotumque adire putares. Iam portae reclusae sunt, iam ferrivia devexit... Proxima subito advenit; currus eius minus completos facilius intravimus ad stationem finalem itineris vecturi, quae erat statio sub Platea Hispanica sita..

Ferrivia subterranea Romana loca urbis inter se longissime distantia mirabili celeritate attingantur. Cuius viae ferreae (7) primae circiter anno MCMXLo Benito Mussolini duce sub terra positae erant: abhinc usque ad nostros dies semper longiores facti sunt et semper fiunt. "Iam XL annos haec ferrivia in statu construendi nunc est" murmuravit unus, qui prope me stabat et propter multitudinem vectorum circumstantium - ut quidem nos reliqui - nullum membrum corporis nisi linguam movere poterat. "Si quis quaerat," continuit "cur tanto tempore ad eam perficiendam opus sit, libenter respondebo: Propter has reliquias damnandas et antiquas et mediaevales, quae ubique in visceribus terrae Romanae inveniuntur. Quandocumque" continuit aegre ferens "novae inveniuntur, ecce, intermittitur constructio, ut ii, qui artibus scientiarum antiquarum studeant, has ruinas inutiles melius effodere et conservare possint. Tali modo urbem regentes vectigalibus nostris utuntur! Inteream, si dementes non delirant!" Ad quae ego nihil respondebam, sed tacito mecum versus Horatii celeberrimos "O te, Bolane, cerebri felicem!" aiebam.

Ferrivia in statione "Platea Hispanica" constitit. Vae nobis! Novum problema nunc erat solvendum: Qui curru egrederemur? Semper corporibus vectorum compressi stabamus immobiles, non iuxta currus exitum, sed - heus! - media in multitudine, quae descendere nolebat. Iam porta aperta, iam denuo reclusa est... Iter continuere coacti sumus... Uxor oculos ad me vertit; quos torquens "Non funzionava!" vocavit; ego autem animum desperatum paulum lenivi ei verbo "Pazienza!" respondens. In proxima statione tandem sine ullo labore descendimus; Plateam Hispanicam quarto horae praeterito per pedes adepti sumus.

Si inter vos, cari legentes, fortasse sunt, qui ipsi Romae habitent: Ne irascamini, quaeso, quod adhuc nihil narravi nisi de incommoditatibus, quas haec urbs mihi carisque meis praebuerit! Re vera non censeo urbem Romam peregrinatoribus nihil aliud praebere nisi incommoditates; immo illo itinere, cuius partem finalem in proximo libello narrabo, permulta iucundissima noveramus.

Udalricus Aeschlimann

1 ferrivia subterranea	Untergrundbahn
2 scalae volubiles	Rolltreppe
3 tessera vectoria	Fahrkarte, Billet
4 tabacopolium,-i,n.	Tabakladen
5 machina imminutrix	Entwertungs-Apparat
6 statio,-onis,f.	Haltestelle,Bahnhof
7 via ferrea	Schiene, Geleise



SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mitem-
da est ad adressam infra
stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für
mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

AZ

8050 Zürich

3+4/86

IDIBUS APRILIBUS

MCMLXXVI



RVMOR VARIUS



TOMUS 9

FASC. 58